



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 56. Episcoporum scriptum contra Archiepiscopos Legatis traditum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

agitatum, Legati confugientes ad eam  
jussionem, quæ unicum erat remedium  
ad amputandam dissertationum prolixita-  
tatem, ex quibus ambiguitas, & di-  
scordia nascebantur, præscribere sin-  
gulis, ut suffragium solo ferrent verbo,  
*Placet, aut non placet:* porro ad id ven-  
tum est die vigesima sexta Octobris, ac  
die postero idem continuatum, consen-  
tientibus Patrum quamplurimis: ve-  
rum quamvis hac in occasione Patrum  
potissimi contenti essent, ut sua suffra-  
gia vel ferrent vel negarent, quin suas  
opinionum argumentis fulcirent, nihilo-  
minus cum de articulis circa disciplinæ  
restorationem, ac præcipue circa præ-  
rogativam Archipræfulum supra Epi-  
scopos ageretur, majori contentione  
differebant.

§. LVI.

*Episcoporum scriptum contra Archi-  
episcopos Legatis traditum.*

*Pallav. n. 21.* Hanc in rem quadraginta Episcopi  
quemdam libellum a se subscriptum  
Legatis tradebant, in quo petebant,  
quatenus auferretur injustus usus ob-  
stringendi Suffraganeos, ut sive per se,  
sive per Procuratores ad Metropolita-  
rum Ecclesias singulis annis, secundo  
Paschatis festo, sicuti solebant, acce-  
derent, cum haud ita benigne ab Ar-  
chie-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.

chiepiscopis, eorumque Vicariis haberentur, ideo petebant, ut tantummodo tunc ad id adstringerentur, cum provincialis Synodus esset celebranda: insuper iidem, quatenus in suos quoque inferiores æquitatem præferrent, postularunt, ut eodem nexu pariter solverentur Archipresbyteri, & Parochi erga Episcopos, excepto duntaxat eo tempore, quo ad Diæcesanam Synodum celebrandam accedendi necessitas suaderet, aut cum opportunum Episcopo videretur eos advocare: affirmabant enim illi, quod huiusmodi consuetudo nonnisi a Synodis, quas sæpius per annum celebrare usuvenisset, originem traxerit, his vero nunc abolitis usus tamen conveniendi quantumvis inutilis, ac non parum molestus permaneret, quare Legati, ut tranquillius res procederet, destinarunt duos Episcopos, totidemque Archiepiscopos, qui agerent inter se, & opportunum huius rei remedium excogitarent.

§. LVII.

*Pontificis colloquium cum Lotharingio  
Cardinale circa Synodum.*

Cum Legati rebus ita dispositis, adhuc dubii hæerent, an Sessionem maturare, vel potius Cardinalis Lotharingii adventum præstolari oporteret,

Pallav. c. 6.  
n. 1. & 2.

Nn 3

de